


1552










DE NOVO ET VETERI HOMINE.

INSTITVTIO VERE Christiani hominis, compendiosa & utilis.

Galat. 6.

IN CHRISTO IESV NEque circuncisio quicquam ualet, neq; præputium, sed noua creatura.



DE NOVO ET VETERI HOMINE.

IESVS Christus Dominus & Saluator noster Mat. 18. Quærentibus discipulis, Quis maximus esset in regno cœlorum, accersitũ ad se puellum, statuit in medio eorũ, & dixit: Amen dico uobis, Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non ingrediemini in Regnum cœlorum. Quisquis igitur humiliauerit semetipsum sicut puellus iste, hic est ille maximus in Regno cœlorum.

Et cap. 19. ait: Regnum cœlorum esse eorũ, qui pueris similes, & tales sunt ut pueri.

Item Mar. 10. Luc. 18. cap. Quicunque non receperit regnum Dei uelut puer, non intrabit in illud. &c.

Quibus equidem oraculis, haud obscure significauit Carnem omnẽ quantumuis ætate, doctrina, sapientia, uitæq; institutis perfecta sit, cœlo indignam esse, & minime aptam, nisi conuertatur, repuerascat, & rursus in Christo paruula fiat & humilis, ut ita regnum Dei nõ aliter quam quod paruula sit accipiat, & ingrediatur. Et nisi carnis uetustas, spiritus nouitate induatur in hominibus, omnes carneos

ermansuros, & regno cœlorum indignos.
Denique Christianum populum non nasci in
arne, sed post natiuitatem in carnem, nouo
partu & enixu, in spiritum renasci & rege
nerari per Christum oportere.

Omnis caro gramen, & omnis gloria eius
quasi flos agri. Exiccatum est gramen, & ce-
cidit flos. 1. Pet. 1. 1. Ioan. 5. Omne quod natū
est ex Deo uincit mundum, Et hæc est uictoria
quæ uincit mundum, fides uestra. Quis est qui
uincit mundum, nisi qui credit quod IESVS
est filius Dei?

Iam igitur in homine duplex creatura an-
notetur, Noua & Vetus. Vetus ex Adam, No
ua in Christo. 2. Corint. 5. Proinde, Si quis in
Christo est, noua creatura est, uetera præterie
runt. Galat. 6. In Christo Iesu neque circunci-
sio quicquam ualet neque præputium, sed no-
ua creatura.

Duplex est enim Homo.

VETVS ET NOVVS.

VETVS, est stultus, Ignorans Dei, cæcus,
mortuus, Hypocrita, ambulans in tenebris se-
cundum carnē, ouis sine pastore, filius iræ, alie
nus a Deo & dei uita, conuersatio eius est in
concupiscētijs carnis, sub principe mūdi, deo-
que huius seculi, in regno tenebrarum, pecca-

tor est, damnatus, scortator, fur, adulter, mollis 1. Corint. 6. Auarus, maledicus, ebriosus rapax, & cæt. Sed abluitur, sanctificatur, & iustificatur, hoc est, innouatur, in nomine domini Iesu, & in spiritu Dei nostri, ut deinceps seruiat iustitiæ, & non iniquitati ad iniquitatem. Romano. 6.

NOVVS homo, omnia contraria habet, domesticus est Dei, plenus Deo, habitaculũ Dei per spiritum & c. Ex ueteri enim renascitur nouus, & imago ueritati conformatur. Homo est propter Christum in eo Nouus, ob spiritum Dei.

Est Homo externus, Internus, Animalis, Spiritualis. Vt 1. Corin. 2. testatur Paulus.

Habet caro suam sobolem Dei opificio. Habet quoq; Deus filios Dei per Deum, Dei opificio. Infidelis caro & peccatrix, peccati autor est & propagatrix. Deus per spiritum suum filios dei gignit, Ac quæ dei sunt, Deus auget ac multiplicat.

Item Homo carnis & Homo cordis gignitur e carne, carneus homo, in ordinem creaturarum.

Spiritualis gignitur e spiritu, in ordinem

filiorum Dei, & ad bona opera, ad quæ præparauit nos Deus, ut in eis ambularemus. &c. Ephesi. 2. In animam gignitur Vetus, in spiritum Nouus.

Hinc corpus aimale, & corpus spirituale. Non primum spirituale, sed animale, postea spirituale. 1. Corint. 15.

Corpus peccati, mortis, carnis, coram Deo exuitur, dum Nouus homo renascitur, ut non sit amplius mortis corpus, quamuis mortale, sed iustitiæ, uitæ & sanctificationis.

Homo Vetus, ex carne & anima, id est, ex sola natura constat.

Homo Nouus, caro est & Spiritus Dei, id est, natura & gratia.

Duæ naturæ in una persona, Caro & Spiritus Dei, nouum hominem conficiunt. Siue ut 1. Tessal. 5. Spiritus, anima, & Corpus, 1. Corint. 6. Glorificate iam Deum in corpore uestro, & in spiritu uestro, quæ sunt Dei.

Homo uetus e carne nascitur, & caro totus est, e terra terrenus, ex Adam ipsius successor & hæres.

Nouus, spiritu renascitur & spiritualis est, e cœlo cœlestis. ex Deo diuinus, Dei hæres, & Christi cohæres.

Nascitur in carne filius noctis & tenebrarum. Renascitur per spiritum, filius lucis &

diei. Omnes uos filij lucis estis, ac filij diei. 1.Thess.5.1.Ioan.2.& c.Ex non populo, fit populus Dei.1.Pet.2.Lapides uiui.Roma.9. Filij promißionis.Ioan.1.Qui non ex sanguinibus, &c.sed ex Deo nati sunt.

Ex Deo nascitur nouus homo, habens patrem Deum, & fratrem Iesum Christum in uno spiritu. Exempli gratia. Si rudem docueris, Si ex Rustico Rethorem aut ciuem feceris, ex stolido prudentem. &c. iam alius est, non foris, sed intus. Iam intus doctus est, peritus & rethor: & pro tali etiam foris, non pro ueteri deinde agnoscitur. Sic de Consule, Rege. &c.

Christus æternus Dei filius, Deus est & homo. Atque is ex gratia patris, carni sese offert, suumq; & Patris Spiritum impertiēs. Ioan.14. Ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. &c. Carni de suo addit quod diuinum est, atq; e carne carnea & terrea, spiritualē ac cœlestem recreat creaturā. Nouum inquam hominem & Christianum, 1.Cor.cap.1.Ex ipso autem uos estis in Iesu Christo.Eph.5.Ex carne eius, & ex oßibus eius. Ex homine homo, ex Deo, Deus & homo nascitur. Sicut sol radium suū in tenebris emittit, & in ipsis luce sua, nouam speciem producit.

Ita lux uera in tenebris lucens, filios Dei facit, quotquot eam recipiunt. Ioan. 1.

Renascitur ex aqua & spiritu. Nisi enim quis renatus fuerit e supernis, non potest uidere regnum Dei. Ioan. 3.

Quos uero gignit superna natiuitas, etiã suis aquis rigat & abluit, dum carnem spiritu uiuificante perfundit ac inungit. Hinc riuus quo cor immundum purificatur deriuari incipit, Quando inquam, lauacro regenerationis & renouationis spiritus sancti mentes & corda infidelia purgantur. Atq; ut dictum est, Vetustas in nomine Iesu abluitur, & sanctificatur &c.

Vide autem quanta sollicitudine & diligentia Christus Ioan. 3. Nicodemum hominẽ ueterem de Renascentia Noui hominis erudiat. Simulq; Ioan. 9. Illuminaturus cæcum natum, luto sputi suæ carnis, oculos cæci perungit, mox ad aquas Siloa mittit. Ex quibus ille lotus cæcitatem cum luce commutauit.

Eandem autem etiam aquam, nouus partus & infans recenter spiritu progenitus, tota uita bibit, hanc etiam dat Christus, Atq; eo fit, ne quis sitiat in æternum. Quoniam aqua quam dat Verbum Patris, fit in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Ioan. 4. Præterea hac aqua, quam diu uiuit pedes lauat. Ioã. 13.

Ergo

Ergo ex auditu & conceptu interno uerbi Dei, deponitur uetus conuersatio, & corrumpi incipit uetus homo iuxta concupiscentias erroris, & renouatione mentis nostræ, induitur nouus homo, qui iuxta Deum conditus est in iustitia & sanctitate ueritatis Eph. 4. Rom. 6. Atq; ista est conuersio peccatoris quam uult Deus Ezech. 18. quum dicit: Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus uestris.

Deus pater, per uerbum suum creat ueterem creaturam & hominem, atq; idem ex misericordia & multa charitate uocauit, elegit prædestinauit, benedixit, & glorificauit nouum hominem per Iesum Christum, secundum beneplacitum uoluntatis suæ. Eph. 1 & Rom. 8. Et cum illo uiuificauit, conresuscitauit, & sedere fecit inter cœlestes, in Christo Iesu. &c. Ephes. 2. In laudem gloriæ ipsius, ex bonitate erga nos, per Iesum Christũ. &c.

Iamq; non solum creator est noster, sed & pater factus est per Iesum Christum. &c.

Christus quoq; dei filius, cum patre per communem spiritum in carne redimit, reparat, expiat, ac plane recreat nouo opificio, hominem & carnem, spiritualemq; facit ut membrum suum esse ualeat in deo, ex homine diuinum, & dei filium faciens.

male

Ergo per Christum Dei Patris uerbũ incar natũ, carni impiæ, mortuæ, dãnatæ & maledi ctæ, infunditur cœlestis lux, dei sapiẽtia, iusti tia, ueritas, sanctitas æterna, quæ est Christus.

Seminis æterni granum, cordi hominis in- dit Deus, quo deinde homo crescat, & in ui- rum in Christo adolescat, Suæ naturæ diuinæ participem facit carnem Deus, per & pro- pter Christi carnem, radium è suo sole tene- bris hominum immittit, nouumq; hominem in Spiritu sancto regenerat. Non enim carnales aut secundum carnem homines sunt filij Dei. Neq; oĩm pater est, quorum creator est Deus.

Porro fide in Iesum Christum uerbum Dei patris incarnatum in corde ueteris hominis, secunda natiuitas peragitur, fide inquam in Christum, qui ascendit in cœlum ad dexteram Dei profectus .1. Pet. cap. 3. Quiq; descendit e cœlo, ut per ipsum reconciliarentur cuncta, pacificatis per sanguinem crucis eius per eun dem, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis. Collos 1. Dum ad instar ænei serpẽtis, in cruce exaltatus est, & traditus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem no- stram. Ioan. 3. Rom. 4. Semper autem in cœlis fuit implens omnia.

A fide in Christum, factum pro nobis pec- catum. 2. Corint. 5. & maledictum. Galat. 3. Et

qui

qui deleuit Chirographon, quod erat contrarium nobis per decreta, & illud sustulit e medio, affixum cruci. Colloss. 2. incipit uetustatis abolitio, & noui fœtus conceptio.

A morte Christi, cruce deniq;, & uictoria mortis & peccati abolitione, initium est fidei, & initium iustitiæ Dei, in iniustitia & infidelitatis uetustate. &c.

Quemadmodum autem matres pueros ad sepulchra parentum, aut parta trophæa perducunt, ita hūc puerū recte ad Christū crucifixū, mortuumq; & sepultum pro peccatoribus, primum duxeris. Ibi enim moritur peccatum ueteris Adæ, cōcrucifigitur corpus peccati, mors moritur, peccatum aboletur, gratia & remissio paratur. Nam cum uetus homo iam ante natus sit atq; educatus, uiuat uita animæ, quantumuis intus mortuus, & damnatus, recte male uiuentē, ad crucē & mortē Christi adduxeris, qua hæc oīa in melius instaurata & pacata sunt, quæ mala sunt, & Deo displicēt. Vt etiam uetus moriatur, ad mortuū pro se, perducitur. Vt uetustas sepeliatur & exuatur, ad sepultū pergit. Moxq; deinde cū resurgēte resurgat, & conuiuificetur spiritu, nouā uitā induat, nouū hominē cū Christo uiuēte uiuat, & Christum autorē uitæ, referēs in dies singulos, ad ipsius imaginē effingatur a gloria in gloriā.

Etenim quando caput corporis ecclesiæ suæ Christus, mortuum est, commortua sunt & cum eo membra omnia, Imo, pro omnibus membris, mortuum caput est.

Quando etiam uitæ redditum caput, conuiuificata sunt membra omnia cum capite. Non prius autem hæc Capitis beneficia ad quosuis pertingunt aut pertinent, quam fide in corpus uiuum cum capite, inseruntur fideli a membra, & coaugmentātur. Eph 4. Col. 2

Christus sane a cruce & morte, potissimum prodest, Mortuus enim uiuificat, Crucifixus glorificat, exaltatus in crucem, omnes ad se trahit & exaltat, Resurgens regnat & conuiuificat, id est peccato mortuus, peccatum semel abolet. Inferos uincit. Maledictionem tollit, Benedictionem profert & saluat.

Iure igitur huc adducitur homo innouandus. Et Vetus cum crucifixo in crucem figatur, cum moriēte moriatur, & consepiliatur, & cum resurgente Victore, iam uitam assumat, non obnoxiam peccato, aut carnalem seu mortuam, sed spiritu uiuificetur, deposita, quantum ad conspectum Dei attinet, tota uetustate & corpore peccati.

Moritur enim uetus homo coram Deo, sed non statim mortuus est sibi, neq; statim mundo sepelitur, sed in carne, ut charitatē exerceat,

&

& pro Dei gloria ad iustum incrementum relinquitur, commori tum sane incipit, donec totus moriatur. Eph. 2. Conuiuificauit nos una cum Christo. &c. Rom. 6. Quotquot baptisati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptisati sumus. &c.

Sic quoq; sanctificatur uetus homo, per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam. Heb. 10. Per quem habemus redemptionem per sanguinem ipsius. Eph. 1. Condonans nobis omnia delicta. Colloss. 2.

Inde factum est, ut Christus crebro suam paßionem discipulis inculcarit, & Ioan. 12. dixerit: Nisi granum frumenti deiectum in terram mortuum fuerit, &c. Quum autẽ mortuum fuerit, multum fructum adfert.

Ideo ad hos fructus maturos, & ad hunc paradisum inducitur uetus homo, ut gustu nouorum fructuum, id omne mali in bonum uertatur, quod uetitus parentum esus inuexit in carnem, & quod præterea carnem & ueterem creaturam consequitur. Paulus etiam 1. corint. 1. prædicat Christum crucifixum. Et 1. corin. 2. non iudicat se quicquam scire inter Christianos nisi Iesum, & hunc quidem crucifixum. Præterea creberrime Christi crucem & mortẽ, in Epistolis suis repetit. Summam uero Euangelij 1. corint. 15. complexus,

Tradidi inquit, uobis, quod & acceperam, quod Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris. Christum, Christum, mortuū pro peccatis prædicat & c.

Petrus etiā Act. 2. Iesum Nazarenū, & c. crucifixum interemistis. Item Acto. 3. Deus Abraham, Isaac. & c. quem uos tradidistis ac negastis in conspectu Pilati. & c. Eodem cap. Autorem uitæ interfecistis, quem Deus suscitauit a mortuis. & c. Et ca. 4. Per nomen Iesu Christi Nazareni, quē uos crucifixistis, & c.

Item 1. Pet. 1. Per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.

Deniq; 1. Ioan. 4. Filium suum unigenitū misit Deus in mundū, ut uiuamus per eū. & c. Item. 5. Vita æterna in filio eius est. Item ca. 1. Sanguis Iesu Christi filij eius. & c Item ca. 2 Aduocatum habemus apud patrem. & cæ. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Oportuit namq; Christum pati, & resurgere tertia die. & c. Et prædicari sub nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. Luc. ultimo. Vt quotquot confeßi fuerint ore suo dominū Iesum & crediderint, quod Deus illum excitauit a mortuis, salui fiant. Romano. 10. Quoniam qui adhæret Domino, unus spiritus est. 1. Corint. 6.

Itaq; toto ſtudio, & ante omnia prædicandus eſt Chriſtus crucifixus, mortuuſq;. Et qui reſurrexit, iam nunc ſedens ad dexteram Patris. Ad crucifixumq; pellicendi ſunt omnes homines. Hic enim diſcent cur mortuus fuerit Chriſtus, cur pro ſe, nempe quia damnati ipſi & peccatores, mortui, maledicti, Diſcent peccati malitiam, pro qua mortuus eſt Chriſtus, Terrebũtur cognitione peccati, propter quod tam horrendam mortem crucis obierit Chriſtus. Diſcent quid peccatum. &c. Atque huc pertinet officium ſpiritus reuelantis peccatũ. Diſcent amare Chriſtum, quales fuerint ſine Chriſto, aut eſſent ſine illo, quales per illum facti ſunt. Quantum beneficiorum Chriſtus in peccatores impenderit, quam amarit perditos etiam. &c. Nam ſimul morbum, ſimulq; medicum atq; pharmacum in cruce & morte Chriſti inueniunt peccatores.

ENIMVERO DE NOVI *hominis conceptu, partu & uita, agedum pluribus agamus.*

SEMEN, *quo fœtus nouæ creaturæ in homine formatur, uerbum dei est.* Iaco.1. *Sua uoluntate edidit nos sermone ueritatis ut simus nos initium aliquod creaturarum eius.* En tibi *Nouæ creaturæ primordia.* Ibidem. *In mansuetudine suscipite insitum sermonem qui potest saluare animas uestras.* 1.Pet.1. *Regenerati ex semine immortali, per uerbũ dei uiuentis & manentis in sæcula.* Et *deus pater secundum suam magnam misericordiam, regenerauit nos in spem uiuam &c.* Ephes. 2. Ioan.1. Thes.1. *Accepistis non sermonem hominum, sed sicut uere erat, sermonē dei, qui & agit in uobis credentibus.* Luc.8. *Parabola seminis, id est, uerbi dei.* Mat.13.

MATER, *est gratia dei, atque spiritus Christi, Deniq; uiscera* Iesu Christi. Galat.4. *Quæ sursum est* Hierusalem, *quæ est mater omnium nostrum.*

VTERVS, *est sinus cordis, & caro in qua nascitur, crescit & habitat nouus homo.*

OSSA *& neruos, ex interno robore spiritus accipit, secundum efficaciam internam fortitudinis spiritus, & inhabitantis Christi,* Eph.

Ephesi.3. Vt fortitudine corroboremini per spiritum suum in internum hominem, ut inhabitet Christus per fidem in cordibus uestris.

NASCITVR, Deo patri filius & hæres per Christum, Christo frater & cohæres. Renascitur inquam in carne, ad imaginē & similitudinem Dei. Coloss.3. Qui renouatur ad imaginem eius qui condidit illum.1.Ioā.5. 2.Cor.15. Quemadmodum portauimus imaginem terreni.&c.

PVER EST, Mox infans, adolescit postea, deinde uir perfectus in Christo euadit. Crescit in puerum, crescit de fide in fidem, fitq; in dies singulos salus sua propior quā cum crediderit. Rom.13.

ADOLESCIT, ut possit in eo reuelari uita Christi & cognitio.2.Cor.4. Christo lapidi angulari superædificatus, crescit in templum sanctum in domino, & habitaculum Dei per spiritum. Ephe.2.&.1.Pet.2.

Gratia & pax in illo multiplicantur.1.Petri.1. Quo autem magis externus homo corrumpitur cruce & afflictione, hoc amplius internus renouatur de die in diē.2.Cor.cap.4.

RENATVS, Lauatur, Lauacro regenerationis, Tit.3. ut iustificati illius gratia. Et.2. Purificauit sibi populum peculiarem & cæt. Ephe.5. Christus dilexit Ecclesiam.&c. ut il

lam sanctificaret, mundatam lauacro aquæ per uerbũ dei &c. Aspergitur sanguine Christi 1. Pet. 1. Hebr. 12. Reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Roma. 5. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore &c, ut iustitiæ uiuamus. 1. Pet. 2. Abluitur, sanctificatione spiritus in obedientiam.

Huc spectat Baptismus, & tota mors uetustatis, & quicquid ad innouationẽ in Christo commodum est. Colos. 2 1. Petri. 3. Ephesi. 5. Tit. 3 Rom. 6. 1. Corint. 5. sed abluti. 1. Corint. 12. In uno spiritu omnes, in unum corpus baptisati. &c.

Cibo grandescit Puer.

CIBATVR, Esuriens & natus ac lotus, antea tamen, lacte & melle, quam diu paruulus est. 1. Corint. 4. 13. Hebr. 6. 1. Petri. 2. Quasimodo geniti infantes lac rationale, & quod dolum nescit & c. Enutritur in sermone fidei & sanæ doctrinæ. 1. Timo. 4 Christus in illo crescit &c. Mox ad adipem frumẽti & panem cœlestem perducitur, ut corpore Christi & suo sanguine saturetur. Solidus est iste cibus, uidendumq; quando, & quibus, & in qua ætate conueniat. Baptisatis, Innouatis, & Spiritualibus cõmodus est iste cibus. Quæ ad Cœnam dominicam, & animarum pabula attinent, hunc locũ habent, & uendicant 1. Co

rint.

rinthiorum.10 & .11.

Induitur & uestitur. Totus ornatus noui hominis est Christus. Rō. 13. Luc, 15. 1 Ioā, 2. Sitis induti tanquam dilecti dei. Col. 3. Nam etiam foris prodit se nudum non esse, dum bonis operibus, fidem internam declarat & ornat. Succincti lombos mentis uestræ. 1. Petri. capit. 1.

Indutus arma lucis. Rom. cap. 13. Item Gal. 3. Quicūque baptisati estis, Christū induistis.

FILIVS est Dei, Romano. cap. 8. Hebr. 2. 1. Ioan. 3. Galat. 4. Ioan. 1. Dedit eis potestatem, filios dei fieri. &c.

Frater est Christi, Hebræor. 2. Matth. 12. Quisquis fecerit uoluntatem patris mei. &c. Hæres Dei, & cohæres Christi. Rom. 4. & 8. Galat. 4. Vetus homo seruus est peccati, neq; manet in domo. Ioan. 8. Galat. 3. Omnes enim filij dei estis, eo quod credidistis Christo Iesu.

Docetur, Patris tractu ad Christum uenit, Erunt enim omnes docti a deo Ioan. 6. Et omnis qui audiuit & didicit a patre. &c. Qui ex deo est, uerba dei audit, Ioan. 8. Dat deus leges suas in mentem eorum, ut omnes cognoscāt eum a minimo usq; ad maximū. Heb. 8. Inscribitur Euangelium in tabulas cordis carneas per spiritum. 2. Corint. 3. non atramēto, sed spiritu dei uiuētis. Hinc noua & spi

ſpiritualis, in eo naſcitur ſapientia & pruden tia, de qua ſæpe Paulus, Nouus affectus. Ro 8. ut ſpiritualia ſpiritualiter comparet, & ſpiri tualibus accommodet. 1. Corint. 2. Qui ſecun dum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiũt. Qui ſecundum ſpiritum. quæ ſpiritus ſunt curant. Roma. 8. Animalis homo & ſpiritualis. 1. Co. 2. ut ſupra.

Hinc quoq; alij oculi. Ephe. 1. Illuminatos oculos mentis ueſtræ. Alij dentes 1. Pet. 2. Si quidem guſtaſtis quod benignus ſit dominus.

Cognoſcit iam mentem domini, quia uobis reuelauit Deus per ſpiritum ſuum. 1 Corint. 2 Et Chriſtum factum nobis a deo ſapientiam, Iuſtitiam, & redemptionẽ, intelligit. 1. Cor. 1. Luc. 5. Nouum muſtum, in utres nouos, fundi iubet Chriſtus.

Iam utiq; ex hoc fonte ſcaturiunt riui ſpi ritualis iudicij & cognitionis, ut dicamus cum Paulo. 2. Corint. 5. Itaq; nos poſthac neminem nouimus ſecundum carnem: porro etiam, ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, nũc tamen non amplius nouimus.

Quamuis uero interne, Deus propter Chri ſtum, per ſpiritum ſanctum doceat ac formet, utitur tamẽ etiam externo miniſterio, ſpiritua lium miniſtrorum, qui cooperarij dei ſunt, Coagriculatores & coarchitecti, qui ſuã pro

lem

lem instituant, portent in utero, alant, doceāt, effingant, lauent, cibāt, educent, &c. 2. Cor. 3. Ministri spiritus noui Testamenti, non literæ, sed spiritus. precones uerbi dei, & tota dispensatio ministrorum dei, hic pertinet. 1. Corint. 4. Ego Plantaui. &c. Dei agriculatio estis 1. Corint. 3. Quamuis multos pædagogos habeatis in Christo, non multos tamen patres. In Christo Iesu per Euangelium ego uos genui. 1 Corint. 3. 2. Corint. 3 4. Ephe. 4. Gal. 4 Filioli mei quos iterum parturio. &c. Pascūt isti quantum in ipsis est, gregem Christi. 1. Petri. 5. Rom. 10. Varia dona habent secundum datam gratiam. Rom. 12. Ephe. 4.

Tales ministri spiritualibus spiritualia disferunt discipulis. 1. Corint. 2. Et sapientiam inter perfectos loquuntur. Carnalibus autem ea annunciant, quæ deceāt infantes, qui lacte, non solido cibo, alendi sunt. 1. Corint. 3. Heb. 5. 6. Habent potestatem in edificationem. 2. Corint. ulti. Versantur cum omnibus, tanquā pater cum filijs, & placidi sunt in medio eorum: quos docent, perinde atq; nutrix, fouet filios suos. 1. Tassa. 2.

Accerseri huc possunt oīa, quæ de Ministris uerbi, doctoribusq; scripta sunt, uita & doctrina Apostolorum, ac totius doctrinæ Dei officia, denique Catechismus.

LIBER *est, a metu mortis per Christũ, qui carni & sanguini communicauit.* Heb. 2. *Liber a peccato, seruit autem iustitiæ dei.* Rom. 6. 7. *Liberatus per Christum ab ira uentura.* 1. Tes. 1. Colo. 2. *Etiam ab elementis mundi, nam non est ciuis mũdi, sed cœli.* Colo. 2. *Huc referenda esset seruitus libertatis in charitate.* 1. Corint. 9. & 13.

HABET *arrabonem spiritus* 1. Ioan 2. *Ex hoc agnoscimus quod in eo manemus, & ipse in nobis.* Itẽ. 2. Corint. 5. 1. Timot. 1 *Quod qui pararit nos in hoc ipsum deus &c.* 2. Co. 5. *Hinc est robur fidei, hoc succo crescit, & impinguatur noua creatura. Hinc certus est se diligi a deo.* Rom. 5. 1. Corint 5. 2. Corinth. 15. *atq; hæc est unctio, quæ docet omnia.* 1. Ioan. 2. *Qui spiritu dei aguntur, ij sunt filij dei.* Rom. 8. *Obsignati estis spiritu promissionis. &c.* Ephesiorum. 1.

OPERATVR BONA OPERA.

Sabbatum agens a pristinis suis erroris & cæcitatis operibus. Heb. cap. 4. *Summa operum est charitas, nullo nõ loco in scriptura cõmendata & necessaria. Alios etiam prouocat, ac eã in hostes exerit.* Heb. 10. 1. Tes. 4. 1. Pet. 4. *mortificat membra terrea.* Col. 3. *Exuit ueterem hominem magis atq; magis, & induit nouum, qui renouatur in agnitionem secundum*

dum imaginē eius qui condidit illum. Ephe 4 nemini est offendiculo. Phil. 1. 2. Irreprehensibilis in medio nationis prauæ, conditus ad bona opera ad quæ preparauit nos deus, Eph. 2. Quin manibus quoq; proprijs operatur. 1. Tes. 5. Ephesiorum. 4.

ORAT, Adorat patrem in spiritu & ueritate. Ioan. 4. Spiritus in illo orat. Rom. 8. postulat a deo omnia, Iaco. 1. petit secundum uoluntatem dei, & exauditur. 1. Ioan. 5. templum etiā est inhabitātis dei. 2. Corin. 9. Quin ipse templum est, quod ut Deus ædificat, ita in eo solo habitat. 1. Pet. 2. uiui lapides, & superstruamini domus spiritualis. &c.

DVCIT VXOREM IN DOMINO.

Inter omnes siquidem honorabile coniugium. Heb. ult. Ephe 5. gratiæ sociam & cohæredem 1. Petri. 3. Abstinet a fornicatione, & poßidet uas suum cū sanctificatione. 1. Tes 4. Non fornicatur 1. Corint. 7. Corpus habet nō scorto, sed domino. 1 Corint. 6. Nam & Petrus, 1. Pet cap. 3. Ornatum muliebrem ait esse absconditum cordis hominem in incorruptione. & cætera. Galat. 3. Non est Iudæus neque Græcus, non est masculus neque fœmina, omnes enim uos unū estis in Christo Iesu.

Huc pertinent Nuptiæ & Matrimonium in domino, in typum Christi & Ecclesiæ

Ephe.cap.5. Item.Col.3.

PEREGRINVS EST IN MVNDO.

Sua conuersatio est in cœlis, ut Philip.3. Habitat in terreno habitaculo.2. Corint. 5. Non habet hic manentem ciuitatem Heb. ult.

REX EST ET SACERDOS in Christo.

Offert spirituales hostias. Rom.12 .Heb. cap. ulti.1.Pet.2 .Ereptus e regno tenebrarũ. Col.1,1.Ioan.3. Translatus de morte ad uitam accepta abundantia gratiæ & doni iustitiæ, regnat per Iesum Christum.Roma. 5.habetq; aditum per sanguinem Iesu, in sancta sanctorum.Heb.10. Ephe.3. Per illum habemus aditum.Ephesi .2.

CONFORMIS redditur imaginis filij dei. Philip.3.Rom.8 .2.Corint.3.ut cum apparuerit, similes Christum simus.1.Ioan.3.ad eãdem imaginem transformamur a gloria.& cæt. 2.Corint.3.

MEMBRVM est corporis Christi, Christus caput. Collossen.2.1.Corint.6.&.12.Vos estis corpus Christi, & membra ex parte.Ro. 12.Ephe.5.Membra sumus corporis eiusdem ex carne eius.1. Corint.cap.6 .Qui adhæret domino, unus spiritus est.

Hinc Ecclesia congregatur in uno spiritu Rom:12. Ephe.2, Vnum corpus & unus spiri

tus.1.Corint.10. Vnus panis & unum corpus, ut sitis noua conspersio.1.Corint.5.ut sitis integrum corpus.1.Corint.1.

VITA eius abscondita est per Christum in deo.Collos.3.Vocatusq; est per Euangeliũ in acquisitionem gloriæ domini nostri Iesu Christi.1.Pet.4.Iam non in concupiscentijs hominum ambulat,sed in uoluntate dei,quod super est in carne tempus uiuit.Ambulat ita ut dignum est uocatione. Ephe.4 .Viuit in spe filiorum dei,quæ est ipsius anchora.Hebr. 6 In sanctitate, Hebr. 12.Gloriatur in spe acquisitæ redemptionis.Gloriatur in tribulatione. Rom.5.Spem fixam habet in deo uiuente,qui est seruator omnium.Timothe.4.Sub cruce. Hebræorum.10.

Adiunge quæ de cruce,passionibus, afflictionibus,persecutionibus,uinculis,patientia, longanimitate colligi possunt.Imo,tota uita crux est,& mortis expectatio.Iac.cap.1.Compatitur,ut conglorificetur.Ouis destinata mactationi.Rom.8.Collo.1.

In carne ambulat,sed non secundum carnem,spiritu enim dei agitur.Galat.5.Ambulat in nouitate uitæ,Ro.6. Iustus est,uiuit in fide Rom.5 Ambulat in fide,nõ in speciẽ.2.Cor. 5.Spe saluus est.Rom.8.Et ex gratia.Ephe. 2.Habet bonam conscientiã erga omnes sem-

per honestæ cupiens conuersari. Heb. 13. Obedit uerbo dei in iustitia Rom 6. id est, Christo, qui omnibus obedientibus sibi, factus est causa salutis æternæ. Heb. cap. 5. Non peccat. 1. Ioan. cap. 2. Præbet membra sua arma iustitiæ deo, in sanctificationem. Rom. cap. 6. 1. Ioan. 3. capite. Omnis qui natus est ex deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet & 1. Ioan. 5. Qui natus est ex deo, seruat semetipsum, & malus ille nõ tãget eũ.

Ideo, iustus est nouus homo, quatenus nouus homo fidelis & in Christo est. Roman. 8. Peccator est, & iniustus, quatenus uetus est & carneus, quia in carne non habitat bonum. Rom. 7. sed non imputatur peccatum, corpus enim mortuum est propter peccatum, Spiritus autem uita est, propter iustitiam, ut Paulus Rom. 8. capite dicit.

Curandum est autem, ut maneat in fide stabilis & fundatus, neque dimoueatur a spe Euangelij. Colos. 2. Seruandum initium substãtiæ Christi, ad finem usq;. Heb. 3. Quam autẽ pœnam expectent qui a uerbo excidunt, postquam illuminati fuerint. Heb. 6. scriptũ est.

Reportat autem finem fidei suæ, salutem animæ. 2. Petri. 1. & uitam æternam, ex dono dei. Rõ. 6. per Iesum Christũ, qui est pax nostra. Ephe. 2. & cõciliauit & pacificauit. Col. 2.

MILES est, Militans bonam militiam. 1. Timot. 1. Fert aflictiones, ut bonus miles Christi. 2. Timot. 2. Arma iustitiæ, a dextris & a sinistris. 2. Corint. 6. Iterum de armis. 2. Cor. 10 & 12. 1. Tes. 5. tota armatura Dei indutus. Eph 6. aduersario obambulanti, & tanquam leoni rugienti, id est, Diabolo solida fide resistit. 1. Petri. 5.

Huc adde omnes locos scripturæ, de ferendis pacienter afflictionibus.

CVRRIT, Im stadio, respiciens ad fidei ducem & consummatorem Iesum. Heb. 12

FORTIS est per dominum, perque potentiam roboris illius. &c.

In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. 2. Corint. capit. 10. Miro autem dei concilio quoque factum est, ut cum Diabolus primum hominem eliserit atq; uicecerit, homo nouus rursus triumphet in Christo de Diabolo, uictoremq; uincat, inimicum elidat & prosternat, Sathanã cũ omni sua pompa, regno, fastu & astu, spiritualis nequitiæ prouocans subinde ad pugnam, illius imperio renuncians. & c. Subinde etiam de improuiso incursantem, armatura dei debellans & exarmans, idque per Iesum Christum, in laudem gloriæ gratiæ dei.

Quæ

QVALIS SIT INTERIM VEtuſtas reliqua.

DVM uero creſcit & adoleſcit in unitatē fidei, & cognitionis filij Dei in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenæ adultæ Christi. Ephe cap. 4. Nouus homo manet nihilominus caro, remanetq; lex membrorum, affectus uetuſtatis, concupiſcentia, ſenſuū officia & inſtrumenta, Anima etiam & cor carneum, prædictis ſeruit, & quæ ſua ſunt, quatenus per ſpiritum ſuccreſcentem licet, ſuppeditat. Hinc adhuc malæ cogitationes, carnales cōcupiſcētiæ, quæ militant aduerſus animam. 1. Pet. 2. Gal. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. & cæt. hæc autem mutuo inter ſe aduerſantur. & cæt. Hinc frequentes pugnæ & Monomachiæ, ſuggerēte nōnihil carni ſuarum nequitiarum, aduerſario diabolo. &c. Hinc inteſtina bella, hinc ſæpe ſuccumbit nouitas, & uincit uetuſtas. Nunquam autem Nouus homo, etiam uictus, a Christo deſeritur, niſi ipſe Chriſtum deſerat: proſtratus reſurgit, uictus uincit copijs reparatis, atq; ſub Chriſto, non ſolum in medijs malis & hoſtibus, ſed etiam in medijs peccatis, intus iuſtus, ſanctus, & dilectus eſt. 1. Ioan. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, & cætera. qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris. &c. Tit. 2

Dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos. & cæt. Et. 3. Secundum ſuam miſericordis am ſaluos nos fecit. & cæt. 1. Ioan. 4. Ipſe dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationẽ pro peccatis noſtris. Et cap. 3. Ille animam ſuam pro nobis poſuit.

Ante Noui Hominis incunabula ac partum ſuccreuit uetus homo in menſuram carnis, ple nam ætatem & iuſtam ſtaturam. Nouusq; uix interim reptat, aut pedibus incedit rectis, quã do iam uetus plenum robur accepit. Cumq; nouus ueteris hominis cogitationes, facta, conatus, ſtudia, ſapientiam, irritare nititur, & ſpiritu ambulare, opera carnis deteſtari, uoluntatem domini ſectari ſtudet, ſæpe ſuo cona tu & cepto fruſtratur, legeq; peccati captiua tur. Et dum conſentit legi dei inuenit aliam legem in membris ſuis, repugnantem legi Dei Romanorum. 7.

Abducitur igitur per inania, & totum mũdum ſæpe puer, ac ea quæ carnis ſunt cogitat & ſapit, donec tota concupiſcentia (ſi non ali as, ſaltem per mortem exarmetur) & auxiliaribus copijs ſpiritus ſuperetur.

Ad poſtremum itaq;, poſtquam in teſta car nis creuit nouus pullus, magnæ illius gallinæ, iuſto tempore cõcuſſa teſta, egreditur, teſtaq; perfuncta, & in terram coniecta, gallina pullum

pullum sub alas colligit, derelinquit inquam, tabernaculum suum tandem terreum spiritus, & peregrinatur a corpore, abiens ad deum. 2, Corint. 5. unde obdormit in domino Christianus. & cætera.

Vas quoque futile, in quo tantus thesaurus. 2. Corint. 4. in terra e qua factũ est redit, thesaurus uero in cœlum, unde allatus est, recipitur. Dumque caro in domino moritur, quæ in domino, & domino uixerat, spiritus ad Christum assumitur & auolat. Actor. 7. Domine Iesu, suscipe spiritũ meũ, ait Stephanus.

Mors piorum, dormitio & resuscitatio cum fratribus suis in die nouissimo, huc rediguntur, simulq; Iudex & Iudicium, in quo oportet nos omnes astare ad tribunal Christi. &c. Vt. 2. Corint. cap. 5 Item in priori ad Corint. cap. 6. Et nos suscitabit per potentiam suam. 1. Corint. 15. Item, in secundo ad Corinthios epistola, capite. 4. & . 5.

I. PETRI .IIII.

SATIS sit igitur nobis, quod anteacto uitæ tẽpore, uoluntatẽ Gentiũ patrauerimus, uersatiq; simus in lasciuijs, uinolentijs, cõpotationibus, commessationibus & nefarijs simulacro-

rum

rum cultibus, deinceps non in cõcupiscentijs hominum, sed uoluntati dei, quod superest tempus in carne uiuamus, ut tandem ad resurrectionem mortuorum pertingamus, Per Iesum Christum dominum nostrum.

Cui cum patre & spiritu sancto, sit æterna gloria.

Amen.

PER DONATVM Cor.